Richard Arsdekin – *Theologia tripartita universa,* Antuerpiæ, Apud Michaelem Cnobbært sub signo S. Petri, 1686

Tom. I, tract. II, *De controversiis particularibus modernis et v. jansenianis,* cap. II, *De Fide, Operibus, Gratia, et Prædestinatione,* § 3, *De Gratia Christi, Operibus, Libero arbitrio, Controversiæ Recentiores*, p. 119a

Resp. Majorem tantum esse veram de extensione intrinseca, sive, quod debeat habere partes intrinsece inter se distinctas, et quoad situm internum : non vero quod debeat una pars esse uno loco, et altera pars alio loco quoad situm extrinsecum. Cum enim situs ille extrinsecus partium sit tantum proprietas naturalis, quam corpus exigit habere quando relinquitur in statu suo naturali, non est cur Deus non possit istius exigentiæ effectum actualem impedire, sunt combustionem ignis, aut illuminationem corporis ex natura sua lucidi. Hic proinde a Doctis merito reprobatur opinio inanis ***Cartesij*** constituentis essentiam corporis in actuali extensione et impenetrabilitate partium, nisi ea aliter explicetur, ut aliqui conantur. Sed hoc pondus habere non potest apud heterodoxos qui passim profitentur se illius Principijs advertari, uti fure, et adductis præcipuorum suorum professorum et Academiarum decretis, ostendit Fredericus Spanhemius ex Academia Leydensi in Hollandia Professor in libro suo, de novissimis circa res sacras in Belgio dissidijs, pag. 76. et seq.

Tom. II, cap. I, *De Existentia Dei, Attributis, Visione, Lumine gloriæ, et Scientia,* § 1, *Demonstratio Dei, ejusque Unitas, et Attributa*, p. 6b

Idem ratione confirmatur : Si Deus extra hunc, alium mundum conderet, deberet certe illi novo mundo præsens esse, idque ita per novam sui murationem, sive translationem ad spatium in quo antea non fuit, quod divinæ immutabilitati repugnat.
Neque cum ***Cartesio*** admittimus, extra hoc universum spatia realia indefinite extensa, in quo ille idæis suis non sat claris nimium confidit. *Reflecte*, hæc in omnibus etiam minimis divina ubiquitas, quanto debeat esse piis ac probis solatio, improbis terrori.

Tom. II, tract. ultimus, *Idæa scientifica theologiæ universæ, et scientiarum illi annexarum,* cap. VI, *Philosophiæ universæ Origo, Partes et ordo Materiæ*, p. 342b

Philosophia pirrum in Græcia maxime celebris, et in varias Sectas divisa fuit. Inter has præcipui nominis fuere Stoici sub Zenone, Academici sub Platone, et Peripathetici sub Aristotele. Demum seculo post Christum decimo, et undecimo, Philosophia Aristotelica cæteris prævaluit, et in Europæ Academiis seculo duodecimo passim florere cœpit ; et in iis hactenus tot seculis principatum tenet. Schola hæc Peripathetica progressu temporis divisa est in Reales, et Nominales, Reales in Thomistas, et Scotistas, ex opinionum in variis quæstionibus diversitate. Nostro ævo Doctrinam Peripatheticam multum impugnare cœpit Renatus **Cartesius** natione Gallus, cum suis asseclis, de quibus infra Cap. 8. Hic igitur Philosophiæ universæ partes, ordinem, ac materiam ex Aristotele in Scholis receptam sub aspectum proponemus.

Tom. II, tract. ultimus, *Idæa scientifica theologiæ universæ, et scientiarum illi annexarum,* cap. VII, *Principia Scientifica. Et Axiomata Philosophiæ universæ ad compendium redacta et elucidata,* p. 345a

Entia non sunt multiplicanda sine necessitate. Sive, Frustra fit per plura, quod fieri potest per pauciora. In *Aristotele* I. *Phys*. T. 50. *& de Part. Animal. Lib. 3. Cap. 4* fundatur hoc axioma, qui hoc modo processit contra Antiquos, qui plura rerum naturalium principia sine fundamento posuerunt : et multum eo pro sua doctrina, quamvis diversa, utuntur *Nominales*, et ***Cartesiani*** recentius.

Tom. II, tract. ultimus, *Idæa scientifica theologiæ universæ, et scientiarum illi annexarum,* cap. VIII, *Authores varii, etiam Recentiores in Philosophiam universam,* p. 355a-356a

Renatus ***Cartesius*** natione Gallus, professione Laicus : ab ineunte ætate Matheti et Philosophiæ incubiit, postea militiam secutus est : sed hac relicta ad studia est reversus, in quæ ut liberius incumberet ; relicta patria, in Hollandiam ad Egmontium venit, ibique viginti quinque annis commoratus est. Post hæc Parisios refersus multis, etiam in Aula, in pretio fuit. Sed cum Urbs tam frequens studiorum otio non faveret, et a Christina Sueciæ Regina multum sollicitaretur, ad eam in Sueciam profectus est : sed non diu ibi commoratus, in Urbe regia Stolkomii post paucos menses obiit anno 1650. ætatis suæ anno 54. Corpus ejus inde postea translatum, et in templo S. Genovevæ Parisiis sepultum est. Vir erat **Cartesius** multum resoluti, et satis elegantis ingenii : adeo ut varia etiam pridem exoleta, quadam novitatis specie multum exornaverit. In suis Mathematicis passim ab omnibus, in Philosophicis ab aliquibus, in paucis Scholis, et non per omnia, recipitur : ab illo hi passim dicuntur **Cartesiani**, sive Corpusculatores, ut distinguantur a Peripatheticis, qui Aristotelicis principiis potius adhærent : aliquos ex utraque parte novos Scriptores mox referemus.

Edidit ***Cartesius***, Meditationes primæ Philosophiæ, et Principia, et Methodos, et | Passiones animæ : item, Meditationes Metaphysicas, et varia Geometrica. Post mortem editi sunt duo Tomi Epistolarum : et aliquid additum tractatui ejus de Homine.

Dissidet plurimum **Cartesius** a doctrina communi inter Peripatheticos, circa Prima Philosophiæ Principia, existimans suas Idæas esse firmiores. Et in his contra eosdem statuit demonstrationem Dei, in eo quod habeamus claram Idæam entis a se. Discrepat etiam circa naturam et numerum Elementorum. Circa materiam et formam tam in animatis, quam inanimatis, quam statuit in varia variorum corpusculorum dispositione. Circa actionem, et efficientiam novæ entitatis per causas secundas. Circa essentiam corporis naturalis, quam ponit in extensione actuali, et penetrabilitatis experte. Circa spatia realia sive extensionem Universi, quam statuit indefinitam. Circa Vacuum, quod asserit absolute esse impossibile. Circa qualitates Peripatheticas, quales nullas admittit : nec quantum apparet entitates Modales a modificatis realiter a distinctas. Circa Motum corporum, quem statuit de novo nullum fieri, sed eundem qui a mundi ex ordio fuit, corporibus motis communicari. Circa Animatorum sensationes, quas vult non in aliis membris fieri, sed in cerebro, sive glandula pineali : plura alia docet prædictis annexa.

Contra **Cartesii** Principia scripsit ex Acad. Lovaniensi Professor in Pædagogia Castrensi librum cui Titulus, ***Cartesius*** *seipsum destruens.* In Academia Duacena illa passim non recipiuntur : uti nec in Academiis Hispaniæ, Italiæ, Germaniæ. Illa quoque in multis insectatur *Gassendus, Moria, Sorberius*, et plures aliique infra. Ex Academa Leydensi vehementer contra illa agit *Fredericus Spanhemius* Professor in libro, de novissimis circa res sacras in Belgio dissidiis, ubi circa paginam 76. citat plurimos Scriptores, et variarum Academiarum *Decreta* contra illa Principia tanquam in ordine ad Ahteismum, etc. nimis periculosa, sic ille fusius.|

Non pauci tamen varia ejus Principia in suis etiam Scriptis tuentur : et alii varia naturæ Experimenta pro iis elucidandis operose examinant. Eo conducunt *Roberti Boyle* Scriptoris Angli, Paradoxa Chymico-physica, et Hydrostica : item, de Coloribus, Historia fluiditatis et firmitatis, Experimenta physico mechanica, etc. Item *Jacobi du Hamel* Tractatus de Corporum affectionibus anno 1679. Pro doctrina **Cartesii** positive variæ scripsit *Iacobus Rohault* in tractatibus Physicis anno 1672. *Guilielmus Philippi, Callii, Cordemaii, Clerselier, Antonius le Grand.*

Sed contra **Cartesium** porro scripsit *La Grange*, Ordinis Oratorii : et in variis P. *Honoratus Fabri*. Item *P. Ignatius Gasto Pardies*, *P. Dinetus, P. Stephanus Natalis,* Gallus, in Physicam veterem et novam. Postremo *D. Ludovicus de la Ville* in suo Libro gallice contra **Cartesium**, dedicato Archiepiscopis et Episcopis Galliæ, ubi in Dedicatione adducit Decretum Regis Christianissimi in Concilio status habito Vercellis die 2. Augusti anno 1675. in quo declarat opiniones **Cartesii** posse deordinationem in Regno causare, quam expedit omnino prævenire : ac notum facit universitati Parisiensi se cupere ut maneat in resolutione suscepta, et hactenus conservata istas opiniones non recipiendi. Exhibet insuper Litteras Regis prohibentis ne Andegavi doceantur aut sustineantur opiniones in principiis **Cartesii** fundatæ, quibus porro injungitur istius loci Intendenti ut executioni manus adhibeat : hæc ille fusius.

Extat Decretum Romanum sacræ Congreg. Indicis, datum in Palatio Apostolico Quirinali anno 1663. in Indice Librorum prohibitorum sub Alexandro VII quo Decreto prohibentur etc. donec corrigantur varii libri Renati **Cartesii**, ut de prima Philosophia, et pluribus aliis ejus libris expressis in illo Decreto, cujus et hic exemplar habemus. Sed hæc hactenus abunde pro utili notitia totius Philosophiæ etiam modernæ.